quidam religiosi nomine non re quia apprehendere non
valent experimentaliter sanctitatem que tamen cupiunt sibi usurpare,
propter fallacem sanctitatem ne intencione sua fraudentur
Cuius signum est quod tales plus delectantur in publico
spectaculo bonis operibus quam in occultis. Dulci-
ores sunt ei tres hore in orationibus in publico quam una
hora in occultis quia finem suum consequitur in publico
Ex. scilicet laudari ab hominibus. Unde legitur in vitas patrum
quod quidam requisivit quare continuus unius diei in
heremo difficilius sibi videretur quam decem dierum in seculo
Cui quidam pater respondit Quia in heremo
nemo videt et nullus laudat in seculo vero multi
videntes laudaverunt unde illa laus huma-
na sustentabat te ne laborem sentires Et Crisostomus
dicit maiorem virtutem laborandi dat homini
concupiscencia vane glorie quam ad ypocritas quam fi-
delibus spes regni celestis Ideo omnia opera ypo-
critarum magis pena quam premio sunt digna. Sicut
dicit Christus Amen dico vobis receperunt mercedem
suam scilicet de orationibus ieiuniis et elemosinis per
eos factis ut ibi continuatur Et tales se affligentes
magis sunt martires dyaboli quam Christi et opera que
digna essent premio vite eterne si recta intencione
scilicet placendi deo fierent per eos pena eterna sunt
punienda Ad cognoscendum autem tales dicit Christus
Ex fructibus eorum cognoscetis eos non utique exteri-
oribus sed interioribus scilicet humilitate caritate paciencia
pace mansuetudine benignitate et et ceteris
ad Galatas v° quos si quis facit duas coronas scilicet lau-
ream et auream